

quid statuimus ad hoc, quantum in ipsis est, aliquo modo inobedientes esse non presumant. Si quis eorum rogatus fuerit, ut ad benedictionem abbatis veniat, venire non obmittat, si pre valitudine possit vel qualibet alia huiusmodi necessitate non impediante. Item, si rogatus fuerit pro aliis ecclesiasticis ordinibus faciendis, in hoc quoque pro voto fratrum morem gerere non obmittat. Non curet, si quis ausus fuerit preceptum nostrum calumniari et contradicere, quasi novum sit et illicitum quemquam locorum ita esse absolutum ab episcopali subiectione. Nam idipsum de quantis locis factum est ab antecessoribus nostris et in promptu est, si expediret, et non longum esset pleraque huiusmodi nominare.

Recolatⁱ, quid responderit (*sic*) ille pater inclytus sanctus Epiphanius Ciprorum episcopus Constantinopolitano episcopo Johanni, qui cum eum calumniatus esset, quod in parrochia sua absque sua licencia ordines fecisset, fatebatur se non in parrochia (*sic*), sed in monasterio fecisse⁵. Quo verbo innuerat aliud ius esse parrochiarum (*sic*), aliud monasteriorum, aliudque ius eorum, qui *nubent* et *nubentur*⁶, aliud eorum, qui *seipsos propter regnum celorum castraverunt*⁷. De quibus adhuc manifestius testatur apostolus nequaquam esse *sub lege* eos, qui *spiritu* ducuntur⁸. Que sententia si de omnibus est universalis, quanto magis de illis, quibus quadam speciali devotionis prerogativa deo servire convenit. Nam quos in prefato loco specialis gracia contraxit, ut mereantur veri filii esse promissionis et ad promissionis terram vere pertingere, liberos esse decet.

Decreverunt^k etiam in eodem loco fratres tali modo pro antiqua patrum disciplina Christo militare ita, ut nullum paciantur habere commilitonem etatis infirmioris quam, ut olim et ipse quidem, qui est verbum dei, cum patribus loquebatur, a vicessimo anno et supra. Si qui sunt iuniores, hi nimirum, ut in collegio suo viedeantur admixti, pro nulla personarum acceptione, pro nulla eris estimacione acquiescunt.

i) *am Außenrand*: Monachos decet esse liberos.

k) *am Außenrand*: Ne pueri suscipiantur in monasterio.

⁵) Epistola S. Epiphanii episcopi Salaminae Cypri ad Joannem episcopum Jerosolymorum a Hieronymo latine reddita, Migne PL 22, Sp. 518: *Haec ita acta sunt, ut locutus sum, in caritate Christi, quam te erga parvitatem nostram habere credebam; quanquam in monasterio ordinaverim, et non in paroecia, quae tibi subjecta sit.*

⁶) Anspielung auf Matth. 22, 30 (Marc. 12, 25): *in resurrectione enim neque nubent neque nubentur.*

⁷) Matth. 19, 12: *sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum.*

⁸) Gal. 5, 18: *si spiritu ducimini non estis sub lege.* Dieser Bibelvers wird gleichfalls zitiert in der Urban II. zugeschriebenen Dekretale: *Decretum Gratiani* C 19 q. 2 c. 2 (= Polycarpus IV, 32, 82).